



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 52. Papa a Ludovico Sfortia in Neapolis Regem concitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

demque ratione quælibet Respublica Pa-
 pam venerabatur: Inter omnes vero Pe-
 trus Medicæus magnificentiæ gloria e-
 minebat, atque Episcopus Aretinus suam
 orationem declamabat, tanta omnium
 admiratione, atque applausu, ut panegy-
 ris illa ceteris ejusmodi sermonibus præ-
 figeretur, ac prima omnium typis man-
 daretur.

§. LII.

*Papa a Ludovico Sfortia in Neapolis
 Regem concitatus.*

Non ignorabat Ludovicus, Papam æ-
 gre tulisse, quod ipse primus genera-
 lis Legationis consilium agitasset, nihi-
 lominus, cum res effectu suo caruisset,
 indignationem Pontificis haud sibi obfu-
 turam sperabat, quominus ad eum con-
 fugere, illiusque opem contra Neapolis
 Regem, atque Florentinos tuto implora-
 re posset; fiduciam Ludovico auxit Car-
 dinalis Ascanii patrocinium, qui apud
 summum Pontificem gratia & auctori-
 tate plurimum valebat. Ergo nil reli-
 quum erat, quam opportuna Papam al-
 loquendi occasio; sed & illa brevi præ-
 sto aderat captata ex venditione, quam
 fecerat Franciscus Cibo defuncti Ponti-
 ficis filius; hic enim quosdam Princi-
 patus, etiamsi Sedi Apostolicæ beneficia-
 rio

Sæcul. XV.

A. C. 1493.

rio jure obstricti essent, inscio Alexandro Papa Virginis ab Ursinio Neapolitani exercitus Præfecto addixit, & quidem constituto non nisi quadraginta millium aureorum pretio, quam summam Neapolis Rex Virginio suppeditabat, quamvis ea vix biennii proventus, qui ex hisce Principatibus percipiebantur, adæquaret. Hæc agendi ratio, quo magis summi Pontificis animum merito jure exulcerabat, eo solertius Ludovicus hac occasione in rem suam usus est. Ergo Alexandro Pontifici exponit, illatæ injuriæ dissimulationem Apostolicæ Sedis auctoritati, atque securitati summe periculosam fore, minus tamen a Virginio Ursino, utpote qui nonnisi nomen suum rei commodasset, ultionem esse reposcendam, potius tamen in jus vocandum esse Neapolis Regem, cum hic pecunias Virginio suppeditasset, & aliunde Neapolitanus Borgiæ familiam implacabili odio infectaretur, omnique data occasione sat luculenta livoris sui præberet argumenta; ni ergo eum Pontifex perderet, eundem illi certo futurum exitio ajebat Ludovicus, cujus quoque rationibus grave pondus adjecit Cardinalis Africanus ejus frater, Papamque, ut Florentinorum & Neapolitani Regis foedus nova armorum societate everteret, induxit, pollicitus, se quoque opera sua Venetos

aggre-

aggregaturum. Verbo, totum negotium Sæcul. XV.
 brevi mōra maturatum est, ad quod A.C. 1493.
 Ludovicus, necessaria pecunia Alexandro
 Papæ mutuo data, trecentisque lancea-
 riis recens conductis, operam suam impendit, ut Venetos foederis legibus sibi adstringeret. Interea vero idem Petro Medicæo auctor erat, ut neutrius partis studia amplecteretur, eo consilio, ut facilliori negotio dissidia, quæ inter foederatos forte exoritura essent, componere posset. Hanc in rem Petro significari iussit, Papam, si libuerit, nullo labore Florentinorum foedus cum Neapolitanis everfurum; illius enim ditiones ex æquo inter hos atque illos interjacere, medjasque esse, non tamen eandem situs opportunitatem Florentinorum & Mediolanensium societati suffragari, cum eorum status proxime conjungerentur.

§. LIII.

Petrus de Medicis flecti nescius.

Ast arctior erat Petri Medicæi cum Ferdinando amicitia, quam ut ejusmodi rationum pondere dissolveretur. Quare Petrus dimisso Ludovicî Oratore unice eo curas intendit, ut cæpta consilia ad effectum deduceret. Hac Petri repulsa Ludovicus non nihil turbatus, omnem spem in Venetorum auxilio reposuit, quos

Hist. Eccles. Tom. XXX.

L1 armis